



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus Unicus. Argumentum. Institutus ab Ordinario in Beneficio patronali vacato per obitum Familiaris Cardinalis, & illud pacificè possidens per triennium, an successivè molestari possit, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

Gomes hic *quest.* 1., Papa ad horum imitationem potius triennium, quàm aliud tempus præfixit.

Quoad hanc conclusionem sequens examinatur Casus.

ARGUMENTUM.

Institutus ab Ordinario in Beneficio patronali vacato per obitum Familiaris Cardinalis, & illud pacificè possidens per triennium, an successivè molestari possit, & beneficium impetrari, si appareat ingressum in illud fuisse simoniacum, simonia commissa à Patre Instituti, seu Beneficiati, hoc penitus ignorante.

SUMMARIUM.

- 1 Regula Triennalis suffragari non potest possidenti beneficium ex titulo ingressus simoniaci; Limita, ut num. 11. neque si beneficium sit reservatum. Limita, ut num. 12.
- 2 Enumerantur requisita ad hoc ut Regula de Triennali locum habeat, & num. 3. 4. 7. & 8.
- 3 Interruptio possessionis Triennalis si habuit originem à lite judiciali, durat non obstante quocumque colligantis silentio, si verò procedat à molestiis, istis cessantibus, cessat & ipsa interruptio.
- 6 Lis si fuerit introducta post annalem possessionem an impediatur cursum triennalis possessionis.
- 7 Regula de Triennali non intrat in beneficiis unitis.
- 9 Regula de Triennali locum non habet contra incompatibilitatem beneficiorum introductam à Concilio.
- 10 Regula de Triennali tuctur Possessorem in iudicio tam petitorio, quàm possessorio.

CASUS UNICUS.

Vacato Beneficio Patronali à extra Curiam per obitum Familiaris cuiusdam Cardinalis; quidam obtinuit præsentari à Patrono proprium Filium, mediante pecunia, id eo penitus ignorante; qui fuit institutus ab Ordinario; & beneficium pacificè possedit per triennium; Quæritur an huiusmodi Possessor benefi-

cii successivè molestari possit, & beneficium à S. Sede impetrari.

Affirmativam dubii resolutionem suadet exceptio expressa hujus Canonis; Liberat enim huiusmodi Canon triennale Possessorem beneficii à quibuscumque molestiis, exceptis casibus simoniaci ingressus in illud, & reservationis; utraque exceptio in præsentiarum concurrere videtur; si quidem ingressus in hoc beneficium patronale fuit simoniacus, dum Pater Instituti, seu Possessoris beneficii obtinuit illum præsentari à Patrono, interveniente pecunia; Et Beneficium est S. Sedi reservatum in vim Regule quartæ Cancellariæ; Ex quo sequitur quod Regula de Triennali huic Beneficiato suffragari minimè possit Card. de Luc. de benef. disc. 135. num. 5. Rot. decis. 423. num. 19. & seq. par. 19. recent. & in Conchen. Præstimonii 17. Januarii 1701. S. Non relevante cor. Eminentiss. Priolo.

- 2 At veritas est in contrarium. Etenim, ad hoc, ut habeat locum Regula de Triennali requiritur primo Triennalis possessio, & titulus saltem coloratus, vel saltem quod effluxerint anni decem ad illum præsumendum; Gomes hic qu. 45. Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 53. num. 14. Card. de Luc. de benef. disc. 91. num. 13. & 16. & disc. 135. num. 5. Rot. disc. 130. num. 9. & seq. coram Celso, & decis. 294. num. 1. coram Roxas, & decis. 264. num. 4. par. 9. & decis. 238. num. 8. par. 12. recent. Secundo requiritur quod huiusmodi possessio concludenter probetur integrè usque ad ultimum momentum. Card. de Luc. de benef. d. disc. 91. num. 9. Rot. coram Celso ubi supra, & decis. 238. num. 3. par. 12.
- 4 Requiritur tertio quod ipsa sit pacifica, & nullatenus interrupta, quod evenire potest dupliciter, nimirum per litem, aut per molestias extra judiciales ac de facto, dummodò istæ interpositæ sint vel ad impediendam possessionem, vel ad removendam fructuum perceptionem. Card. de Luc. d. disc. 91. nu. 21. & seq. Rot. decis. 171. num. 26. cor. Bich. & decis. 699. num. 2. & seq. coram Buratt. & decis. 609. nu. 7. & seq. par. 18. & decis. 423. nu. 22. par.

- par. 19. rec. cum hac tamen differentia
- 5 quod si interruptio originem habuit à lite judiciali, durat non obstante quocumque colligantis silentio, & impedit inchoare novam possessionem; si verò proveniat à molestiis extra judicialibus, harum prosecutione cessante, cessat interruptio, & non impeditur quo minus incipere possit novum triennium aptum, & sufficiens ad hoc, ut habere possit locum. *Regula Card. de Luc. ubi supra num. 26. Rot. decis. 294. num. 28. & seq. cor. Roxas, & decis. 264. num. 32. & seqq. par. 9. rec.*
- 6 Animadvertendo tamen, quòd si lis fuerit introducta post annalem possessionem, hæc annalis possessio facit, ac si lis non fuisset introducta, adeò ut non impedit cursum triennalis possessionis. *Gomes super regul. de annal. quæst. 81. num. 2. Rot. decis. 263. num. 6. & decis. 345. num. 10. par. 17. & decis. 609. par. 18. & in Conchen. Præstimonii 17. Januarii 1701. §. Non relevante coram Eminentissimo Priolo.*
- 7 Requiritur quarto, quod beneficium non sit unitum, quia Regula non intrat in beneficiis unitis, eo quia in unitis non datur vacatio, & consequenter nec possessio, *Tondut. quæst. benef. 85. num. 62. Card. de Luc. de benef. disc. 135. nu. 8. Rot. decis. 202. in fin. cor. Cavaler. & dec. 551. coram Coccin.*
- 8 Requiritur denique, quod possessio non sit contra Decreta S. Concilii Tridentini c. 4. sess. 7. & c. 17. sess. 24. & c. 15. sess. 25. de refor. quoniam si quis possideret beneficium contra dispositionem horum Decretorum, e.g. si quis possideret per triennium duo beneficia incompatibilia, ei suffragari non posset Regula de triennali quia hæc locum non habet contra incompatibilitatem inductam ex dispositione S. Concilii Tridentini habentis Decretum irritans. *Fagnan. in cap. De Multa de Præbend. num. 48. Garz. de benef. par. 11. quæst. 5. num. 379. Gomes super hac Regula quæst. 10. Barbof. ad Concil. sess. 24. de reform. cap. 17. num. 51. Panimoll. decis. 31. adnot. 1. num. 48. Rot. in Frisingen. Canonicatus 9. Januarii 1705. §. final. coram Eminentissimo Scotto; & in Augustana Canonicatus 27. Januarii 1714. §. final. cor. R. P. D. Crispo, & in Monasterien. Canonicatus S. Alterum 13. Maji 1715. coram R. P. D. Falconerio.*

- Hæc omnia requisita concurrunt in casu præsentis; dum præfatus Possessor possedit beneficium cum titulo, saltem colorato, videlicet ex institutione reportata ab Ordinario ad præsentationem Patroni; per integrum triennium, & pacificè, absque ulla interruptione, & resistantia supradictorum Decretorum S. Concilii; & beneficium, quod ita per triennium possedit non est unitum; unde per necesse intrat ad ejus favorem dispositio hujus Canonis, qui tuetur Possessorem in quovis judicio tam petitorio, quàm possessorio, adeò ut iste molestari amplius non valeat, ex quocumque defectu, quem ejus titulus pati possit. *Rot. decis. 264. num. 1. par. 9. & decis. 423. num. 17. par. 19. recent. & in Treviren. Canonicatus 16. Martii 1716. §. Ipsi si quidem cor. R. P. D. Crispo; & in Colonien. Canonicatus S. Ursula 17. Junii 1718. §. Præterea cor. R. P. D. Foscaro. & aliæ Auctoritates in Comment. relatæ.*
- 11 Non obstat, quod ingressus in hujusmodi beneficium fuerit simoniacus, quia simonia fuit commissa non per Possessorem beneficii, sed per ejus Patrem eo penitus ignorante, ac nullatenus cooperante, quo casu triennalis possessio prodest possidenti beneficium ex titulo infecto simoniæ, vel confidentiæ ita commissæ, ut expressè tuetur *Gomes super hac Regula quæst. 12. §. Et ista ibi = Et ista, quæ dicta fuerunt, procedunt in sciente simoniaco, secus in ignorante; ut quia pater, vel frater aliquid dedit pro dando beneficio filio, vel fratri, eo penitus inscio, quia talis ignorans benè defenderetur Regula = Mantio. decis. 211. nu. 3. §. Et quamvis ibi = Et quamvis confidentia in ejus collatione fuerit commissa ab ejus patre, nihilominus filio ignoranti adhuc competit exceptio dictæ Regule de triennali. Card. de Luc. de benef. disc. 91. num. 6.*
- 12 Minusque adversatur, quod supradictum beneficium sit ex capite familiaritatis reservatum, quia Regula triennalis excipit tantum reservationem in corpore juris clausam, nempe ob vacationem per obitum apud Sedem juxta *Text. in cap. 2. & cap. præsentis de præben. in 6.* ita ut quælibet alia reservatio non sufficit ad elidendam triennalem possessionem. *Card. de Luc. de benef. disc. 132. num. 9. Rot. decis. 264. num. 6. par. 9. rec.*